

**www.e-rara.ch**

## **Explanatio Vetervm Sanctorum Patrum**

**Oecumenius**

**Venetiis, M D LVI**

**Zentralbibliothek Zürich**

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-137749>

De Stephani concione, in qua de testamento Dei ad Abraham & de duodecim patriarchis,  
de fame & emptione frumen ... Capl. VII.

---

### **www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

q̄ non admodum Dei institutionum, sicut Moy-  
sis rationem habebant. ita penitus ad solam vul-  
gi famam viuebant.

*Et cum intente in ipsum inspicerent omnes qui cō-  
sistebant in concilio, faciem eius uiderunt, quasi faciē  
angeli.*

Ita siquidem effectum est, vt qui in inferiore  
etiam gradu esset, graciosus, & splendidus inspi-  
cientibus appareret. vt igitur illi apud quos di-  
cturus erat, terreantur, terrifico faciei splendore  
ad attentionem orationi conciliandam animos  
eorum percellit.

De Stephani concione, in qua de testamento Dei ad Abrahā  
& de duodecim patriarchis, de fame & emptione frumē  
ti, & recognitione filiorum Iacob: de ortu Moylis et  
apparitione ipsi facta in monte Sina: de exitu  
ex Aegypto: de fabricatione vituli zenei  
vsq; ad Salomonis tempora, & tem-  
pli ædificationem: de lapidatione  
Stephani, Cap. VII.

**E**T dixit Pontifex, nunquid hæc ita se habent?  
Ipse uero ait: Viri fratres & patres audite.

Vide ipsum non ingerere se ad docendum, sed  
ab interrogantibus cogi: & posteaq; superior &  
oratione fuit et signis, intolerandum ipsis fuisse.  
Falsa autem mercede subornatorum testificatio  
introducenda est, ne contumeliosa res, atq; insolens  
esse videretur: quippe cum Deum non timerent,  
sed ad hominum gloriam tantum spectarent. Sa-  
piens autem re vera & prudentia plenum exor-  
dium est, nominum enim hac cognatione signi-

ficare vult, apud fratres & patres contumeliosum quid, & damnosum introducere, non esse sapientis: sed afferre quod & gloriam & utilitatem comparare consuevit, illud vero esse hominis qui et naturam, cognitionemque perficiat, et pro salute eorum apud quos est sermo, eloquatur. sed apud vos, inquit, nihil tale animaduertere licet. in contrarium enim eius quod mihi fratrum & patrum appellatio suggerit, vos quasi communis cognitionis oblitos ferri video: cum immensum odium nostri efficiat, ut quae etiam ad diuinam potentiam spectant, male apud vos audiant. nam ut alia omitram, haec quae per nos facta sunt, signa & prodigia videtis, quae vos quoque ipsi non alia quam diuina potestate absolui posse testificamini. Cum haec per fratrum & patrum appellationem innuere Stephanum deprehenderimus, reliqua quae sequuntur consideremus: non temere illa quaedem, sed multa cum diuina sapientia collocata.

Gen. 12. a

Deus gloriae patri nostro Abraham uisus est cum esset in Mesopotamia prius quam inhabitasset in Charran, ad ipsumque dixit. Egredere e terra tua & e cognatione tua, & ueni in terram quam tibi ostendam. Tunc egressus e terra Chaldeorum inhabitauit in Charran. atque inde ubi mortuus pater eius fuit, habitatum traduxit in terram hanc, in qua uos habitatis. & non dedit ipsi hereditatem in ea, ne gressum quidem pedis.

Vide etiam hic quo pacto a principio gloria ipsorum destruat, cum non templo, neque ipsorum

genti, sed soli Deo eam attribuat . nam cum inquit (Deus glorię) pro (Deus glorificatus) dictū est . Hic igitur glorificatus Deus cum ex ijs quę fieri nō possunt, & sunt difficilia, facilia efficiat, & obscuros claros reddat, nos quoq; simili modo claros faciet . qui enim a seculo homines sapientia gubernauit, ille ipse nunc quę videntur his fieri non posse, difficiliaq; esse, producere ad facilitatem voluit . utq; hoc manifestetur, Abrahā eiusq; historia in medium adducitur, qui non in templo, neq; ex sacrificijs sed in Mesopotamia Dei visione fuerat dignatus . Hęc autem exorditur, ut iam dictum est, ut significet glorificatū Deum sicut in illis, ita ī nobis quoq; posse efficere, ut ex obscuritate in claritatem inducamur . nam cum multi populi & reges Abraham ipsi et semini eius insidias struerent, infestiq; essent, laboratati sunt omnes ac destructi : qui vero erat humilior, in sublimiorem statum est prouectus . Si igitur in his ita Deus glorię dispēatione sua se gessit, considerandum est in nobis quoq; similia esse euentura . **ALITER.** Vide quo modo a corporalibus, & a loco eos abducit, dum Deo non loco gloriam attribuit . Ipse enim est glorię fons, inquit, qui nō indiget gloria vestra quę per templum exhibetur . Caterum cum scriptura dicat Tharran patrem Abraham egredi e Chaldeorū terra cępisse, quo pacto Stephanus nunc oraculum hunc Abraham ipsi ascribit ? ad qđ dicēdum : Abraham quidem oraculum fuisse datum : sed quia filij incitationi ex oraculo contradicere vel pater nō potuit, exemplo hoc Ste-

Gen. ii. 3

phanum vti ad exprobandam eis inhobedientiam, & incredulitatem. Quo modo enim non conuincuntur esse contumaces & inobedientes, cum Tharra filij incitationi non fuerit refragatus: ipsi post signa multa diuinitus facta non modo non crediderint, verum etiam inuidia exagitati contra eos qui digni habiti fuerant, vt miraculorum gloria illustrarentur, cædem inimice intendent.

Et promisit daturum se ipsi eam in possessionem, & semini ipsius post ipsum, cum non esset ipsi filius. loquutusque est ita Deus, semen eius in terra aliena inquilinum futurum, et in seruitutem redigendum, & affliggendum annos quadringentos. & gentem cui seruient, iudicabo ego, inquit Deus. & post hæc egredientur, & seruient mihi in loco hoc. Deditque ipsi circūcisionis testamentum, atque ita genuit Isaac, & eum die octauo circumcidit: & Isaac Iacob, & Iacob duo decim patriarchas. Et patriarchæ emulatione prosequuti Ioseph uendiderunt in Aegyptum. Deusque erat cum ipso & ex omnibus oppressionibus eum eripuit. deditque ei gratiam & sapientiam coram Pharaone rege Aegypti. ita ut super Aegyptum & super totam domum suam præfectum eum constituerit. Venit autem fames in uniuersam terram Aegypti & Chanaan, & oppressio magna: & annonam non inueniebant patres nostri. Cum audiisset autem Iacob frumenta esse in Aegypto, eò misit patres nostros primum: & secundo

Gen. 13. c

Gen. 17. b

Gen. 21. a

Gen. 25. c

Gē. 29. f. g

30. a. 35. c

Gen. 37. f

Gen. 41. e

Gen. 42. a

Gen. 45.

agnitus est Ioseph fratribus suis: & genus Ioseph Pharaoni manifestum factum est. Sed cum misisset Ioseph, patrem suum Iacob accersiuit, totamque cognationem in animabus septuaginta quinque, descenditque Iacob in Aegyptum: defunctusque est & ipse & patres nostri: & translati sunt in Sychem, positique in monumento, quod precio argenti a filiis Emmor filij Sychem Abraham emerat. Vbi uero appropinquauit tempus promissionis qua iurauerat Deus Abraham, auctus est populus, multiplicatusque est in Aegypto, quoad surrexit alius rex qui non nouerat Ioseph.

Ex multis in hac concione beatus Stephanus & suam erga Iudaeos beneuolentiam, & illorum in se feritatem manifestat. nam cum tanquam ad fratres & patres intendit orationem, quid aliud his nominibus ostendit, quam se sicut cognationis dignitas postulat, erga ipsos se gerere: Iudaeos uero parum huic attendentes, ob signa magis quae per ipsum fiebant, suspiciose & maleuole contra eum inferri. Vnde etiam Stephanus contra illorum innatam malignitatem liberius inuehi conspicitur. ostendit enim promissionem ad patres, ob quam gloriabantur, ante locum, ante circumcisionem, ante sacrificium, et templum fuisse factam: ipsosque hos neque digne circumcisionem, neque legem accepisse: sed terram solam solius obedientiae mercedem fuisse: neque data circumcissione fuisse expletam promissionem: quippe cum figurae tantummodo ea fuerint. Considera uero, si pa-

Gen. u. d

2. 24. 100  
100  
100

2. 1. 100

Rom. 9. f

Gen. 12.  
Gen. 15.  
Gen. 17.  
Gen. 22.  
Gen. 24.Gen. 12.  
Gen. 15.

ter Tharra non particeps fuit cum filio Abraham peregrinationis a terra Chaldaeorum, quia erat indignus, multo magis filij, etiam si multum in via processisse videantur. Atque Abraham quidem ita obediens fuit, vt & genus & patriam ex solo oraculo deseruerit: isti vero si in omnibus inobedientes esse deprehenduntur, quo modo in filios Abraham deputari debent non enim vitalis constitutio, sed morum imitatio filios efficit: quippe cum quantum ad generationem spectat, monstra quoque quæ præter naturæ ordinem nascuntur, germanam nationem sibi vendicent. Cum igitur Stephanus in hunc modum et si nõ explicata oratione, concisi tamen ac contracti & breuiati verbi copiosa sententia progressus fuerit, atq; impudentiam istorum vsq; ad Christi passionem redarguerit, ea ab ipsis est passus, quæ malos coarguentem a malis pati verisimile est. ALITER. Et p̄misit daturum se ipsi. Historia Abraham hinc progreditur: quæ tota tolerantiam, ac perseuerantiam Patriarchæ in promissionum euentibus commemorans, Abraham & similes qui diuinas promissiones patienter sustinent, celebres & claros ostendit: contentiores vero & dissidentes similes presentibus auditoribus: qui etiam ipsi eadẽ quæ illi infortunia sine vlla cunctatione consequentur, dum quæ sperant, e manibus subinde ipsis effluerint: Cũ tamen omnia quæ illi egerunt, parua sint, si ad extremum Christi passionis facinus comparentur. Vnde etiam duræ ceruicis, & incircūcisi corde, & obturati auribus appellatur, occisoresque

prophetarum; & ipsius Christi. id quod sanè & perniciem, & extremam dispersionem ipsis afferret. Atque hæc sunt, quæ in hac huius diuina sapientia instructi Stephani concione ex contracto & abbreviato verbo recondita consideranda sese nobis obtulerunt: quæ nostræ humilitas pro studio eius puritatis quæ in nobis est, adepta intelligentia ita disposuit, principio finem connectens, in ipsoque verbo ex quo hoc quoque diuinitus scaturiuit flumen, acquiescens. Quæ non ab re est, ut particulatim quoque nonnulla consideremus, quatenus assequi ingenio possumus. Non enim temere ipsius Abraham nepotumque eius historia ad corroborationem concionatis assumitur: sed ut & maiorum erga Deum obedientia, & minorum ex asperitate morum inobedientia ostendatur. Primumque exemplum ex Abraham adducitur, quod quæ in diuinis promissionibus continentur, cum festinatione exigenda non sint, quandoquidem neque Abraham exitum nepotum suorum ex Aegypto festinanter requisit, cum tamen ei fuisset manifestatum, per quadringentos annos multa cum afflictatione in seruitute ipsos esse detinendos: ac seruitute sanè non qualibet, sed intoleranda: quippe cum ipsis non ut seruis, sed ut hostibus abuterentur. Neque petit, ut tempus contrahatur, sed sola contentus est ad recreationem vindicta eius, qui se eos qui hostiliter nihil mali agentes opprimebant, iudicatum promissit. expectare autem ut e Perside in Palestinam promissiones explerentur, & non ob soli longinquitatem fieri non posse quod promit-

Rom. 9. f

tebatur, existimare, totā rem potestati eius qui promiserat, attribuendo: illud vero quantæ erga Deum consultorem fiducia est? Ad hæc æmulationis fratrum erga Ioseph subsequitur, & ipsius mansuetudo, iniuriarumque obliuio: dum non modo non vl̄scitur fratres cum posset, sed beneficijs insup afficit. Postremo eos redarguit qui sine vilo prætextu, sed palam contra Christum & discipulos eius rabiose inuehuntur. **A L I T E R.** Post eā quæ de Abraham dicta sunt, ex oraculo nepotum eius sub Aegyptijs afflictationem declarat. cuius quasi compensatio quædam consolatoria est Aegyptiorum pernicies, quæ ab ipso Deo in mari rubro ipsis impendere significabatur. atque id ne inuasionem molestiarum desperatio salutis oborta efficeret, vt in diffidentia & incredulitatem delaberentur. Vide autem fidei pmissarum rerum stabilimentum ac pignus. quod nam autem id est: circumcisio genitalium membrorum: id quod solis ipsis, non alijs qui passi id nō fuerant, agnoscebatur. Circūcisionis autem signum id sibi vult. Prætegmen illud quod auctoris generis nostri in Paradiso inuidia auctoris omnium malorum serpentis subortum fuerat, ita vt ad gustationem ligni probabilior eius oratio, quæ conditoris Dei iussio visa sit, detrahendum circūcisio ei mandat, qui ad Deum vitam suam transferendam censet: eorum detractionem faciendam significans quæ in lege Moysis ex generatione & carne instituta habentur. Adde quod tempus Christi aduentus hoc prætendebat, quo umbrosa omnia ac figuralia ad veritatem Euā-

gelij tranferuntur. Vnde eos qui ita tranſmutari non patiuntur, duriceruices & incircūciſos procedendo appellat: duriceruices, quantum ad ſpiritus ſancti ſubiectiōnem ſpectat: incircumciſos corde & auribus, quantum ad id, q̄ non tolerabant pro occaſione conuenienter res ipſas reſpue-  
re, atq; immutare.

*Iſte genus noſtrum cauillatus patres noſtros affli-  
xit, ita ut infantes ipſorū exponeret, ne foetificaretur.*

Cauillatus, id eſt qui verſutis excogitationi-  
bus ſuperare ipſos cogitauerat. cauillatio enim id eſt ſophiſma externa & violenta expoſitio di-  
citur. vnde violenter ipſos inuaſiſſe ſignificat. vnde etiam cauillatores & ſophiſtas præſtigiato-  
res vocant, qui veritatem deceptione & cauillis occultare conantur. Sed quo tempore afflictato-  
rum exitus appropinquabat, tunc afflictantium contumelia magis progreſſa marium necem nu-  
tricibus edixit. atq; alijs quidem afflictationibus efficiebatur, vt afflictati auerentur magis ac multiplicarentur: hac vero præterq̄ q̄ facinori-  
bus fuerunt fruſtrati, effectum etiam eſt vt ipſe Moyses qui ipſos erat in perniciem inducturus, inopinato fuerit ſeruatus, & regiã educationē & curam cōſequutus. Ad quid autem aſſumptū eſt hoc? vt ſignificetur videlicet, nunc quoq; nō eſſe deſperandum, quin n̄ qui contra Chriſtum, & eius diſcipulos inſurgunt atq; inſtruntur, ſi-  
milia ſint conſequuturi, in factis manuum ſuarū ptal.9.c  
comprehenſi. Nam ſi mirandum eſt, q̄ Ioseph a

fratribus venditus eos ipsos a quibus fuerat venditus, seruarit: mirabilius multo esse debet, q̄ rex eum educarit, qui regnum ipsius erat destructurus. Quòd uero infantes exponēdos iusserit, indicium est eum non aperte tollere ac p̄dere ipsos voluisse. Vide autem per quā diabolus dissoluere promissionem Dei conabatur, per ea magis fuisse confirmatam. Exulat Moyses: sed in exilio illa visione fuit dignatus, populiq; ducatum accepit. sic fecit, vt & venditus seruus quando potissimum putabatur seruus, regnauerit. Quin ipse etiam Christus in morte imperium & potētiā p̄ se tulit. Ita facile expedit omnia Deus, & prouidentia eius est incomprehensibilis.

Gen. 41.e)

Exod. 2.a

Quo tempore natus est Moyses: et erat uenustus Deo. qui menses tres in domo patris fuit educatus. expositum autem ipsum filia Pharaonis sustulit, educavitq; sibi in filium. Eruditusq; est Moyses omni scientia Aegyptiorum: eratq; potens & operibus & uerbis. Posteaquā uero expletum ipsi est quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, ut fratres suos filios Israel inuideret. atq; ibi cum uidisset quendam iniuria affici, ultus est: & uindictam ei qui opprimebatur, fecit percussio Aegyptio. Existimabat autem fratres suos intelligere, Deum per manum eius salutem ipsis esse allaturum. sed ipsi non intellexerunt.

Exod. 2.b

In ipso hoc tempore natus Moyses est. et erat uenustus Deo, id est placitus, & Deo carus. uel uenustus, qui Græce dicitur ἀγαπῶς, id est, uerba

nus, proprie dicitur qui in puerili ætate corpore  
 elegans ac decorus est. Filia autem Pharaonis cū  
 eum expositum suscepisset omni Aegyptiorum  
 sapientia instruendum curauit. Atq; hinc pater,  
 externam eruditionem non profusus esse aspernā  
 dam: quippe cum hic Moysem omni sapientia  
 Aegyptiorum eruditum fuisse, in laudem dictū  
 sit. quemadmodum etiam de tribus pueris et Da  
 niele, q̄ Chaldaeorum sapientia & reliquis scien  
 tijs omnes superarent. parum tamen ac modera  
 te ipsis incumbere debemus in diuinæ scripturæ  
 studio assidue immorantes. nam neq; Moyse,  
 neq; Ananias, aut Daniel peregrinam scientiam  
 didicissent, nisi necessitate & violentia domi  
 norum fuissent coacti: quippe cum nulla in re etiā  
 ipsa vfi fuerint. Tametsi diceret fortasse quispiā  
 bonum esse, si peregrinas scientias adipiscamur  
 ea de causa, vt subuertere & confutare illorum  
 deceptiones valeamus. Interfecit autem Moyse  
 Aegyptium nō ira victus, aut cupiditati suæ in  
 dulgens, sed Dei zelo & æmulatione, quicquid  
 vero Dei ratione fit, pietas est. nam si cædes etiā  
 propter Deum committatur, cædes non est: quip  
 pe cum Phinees cum duos vno ictu interemisset  
 ita commendatus fuerit (surrexit Phinees, & pla  
 cauit: et cessauit profligatio. computatumq; ipsi  
 in iustitiam est.) occisoris enim & pij hominis di  
 uersum propositum est, etiam si vna atq; eadem  
 sit res quæ agitur. Vnde inquit (existimabat au  
 tem &c.) Q̄ d̄ enim factum a Moyse est, signifi  
 cabat Deum per Moysem & Aegyptios esse in  
 terfecturum, & Israelitas seruaturum. Atque ita

Dani. i. d

d. i. i. d. d. d.

d. i. i. d. d. d.

Num. 26. b

Psal. 105. c

quidem, si de Moyse intelligamus: si vero altiore speculatione rem consideremus, Christi dispensationem historia hæc nobis ostendit: qui cum Israelitas graui cōtumelia oppressos inuenisset: insiliebat enim in ipsos quasi conculcaturus Sathanas: misertus in libertatem asserere ipsos aggressus est. & cum quodam modo oppressorem interfecisset, sub terra occultauit: id est ad inferos detrusum, ibi cōclusit. atq; ita detruso Satana Saluator iustitiæ exequutor Israelitis esse videbatur. ipsi vero cum gratias agere ei deberent, econtrario vituperabant, & dicebant: hic nō eicit dæmonia nisi in Beelzebub principe dæmoniorum. vnde effectum est, vt e Iudæa in Galilæam transferit, quemadmodum etiam Moyse in terram Madian: & congregationem ex gentibus conuocavit.

Luc. 11. b

Exod. 2. c

Et sequenti die ipsis pugnantibus apparuit, & cōpellebat ipsos in pacem, dicens: uiri, fratres estis uos: qua de causa iniuria uos mutuo afficitis? qui uero iniuriam inferebat proximo, ipsum repulit, quis te, inquit, principem & iudicem in nos constituit? nunc quid occidere etiam me tu uis, quemadmodum heri Aegyptium interemisti? Fugit autem Moyse in sermone hoc. factusq; est aduena in terra Madian, ubi filios duos progeniuit,

Spec̄ta hinc quoq; ingratitude & insidias Iudæorum erga benemeritos. Moyse enim qui impetuose eum interfecerat, qui gentili suo iniu-

riam inferebat : erga iniuste agentem mansuere nunc se gerit. is vero patria petulantia contra benemeritos vsus, ipsum repulit magis calumniās, & in perniciem Moysem qui salutarē gentili suo cædem commiserat, circūueniens . eodem modo contra Christum se gesserunt: benefico ob beneficia mortem machinantes. vnde etiam dicunt: qđ facimus, quoniam homo iste multa signa facit. Ioan. 11. f

Expletisq; annis quadraginta apparuit ipsi in deserto montis Sina angelus Domini in flamma ignis rubi. Exod. 3. a  
 Moyses autem cum inspexisset, uisum est admiratus. et accedente ipso ut aī aduerteret, uox Domini ad ipsum facta est. Ego Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob.

Filium Dei angelum nunc vocat, quemadmodum alibi etiam hominem : quippe cum ipse sit magni consilij Angelus . vnde etiam paulopost beato Moyse dicentem eum ostendit: (Ego Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Isaac, & Iacob.) In flamma autem ignis rubi manifestatur, in forma ignis enim etiam in monte Sina legem tradens Deus apparet . qua de causa ? propterea Exod. 19. c  
d. & 20  
 qđ uidelicet diuinam naturam igni ob omnipotentiam, hominem lignis & herbis sacra scriptura assimilem facit: inquit enim, Deus ignis consumens est. et item: homo, quasi fenum dies eius. Deu. 4. d  
Psal. 102. c  
 Sicut igitur spinis tolerabilis ignis non est : ita neq; humanitati diuinitas. in Christo tamen cōuenit, tolerabilisq; effecta est: qui in se purum illum naturæ proprię ignis afflatum vt pceptibi-

lis efficeretur, contraxit: quemadmodum etiam spinis ipsis nunc ignis euasit. Carnem vero suam Christum corruptione excellentiorem reddidisse, ænigmatice significare hic potest ignis, qui prorsus illæsum lignum conseruauit. diuinitas siquidem in humanitate comprehensa est. quod mysterium in Christo fuit absolutum.

Tremefactus autem Moyses animaduertere non audebat. Dixit uero ipsi Dominus: Solue calceum pedum tuorum, locus enim in quo stas, terra sancta est. Inspiciens inspexi afflictationem populi mei in Aegypto, & gemitum ipsorum audiui, & descendi ut ipsos liberarem. Et nunc ueni, & mittam te in Aegyptum. Hunc Moysen quem negauerant, dum dicerent, quis te constituit principem & iudicem? hunc Deus principem & redemptorem misit, cum manu angeli qui apparuit ipsi in rubo. Hic ipsos eduxit, prodigijs & signis factis in Aegypto, & in mari rubro, & in deserto annos quadraginta.

Licet non isdem uerbis in Exodo hoc dicatur, eadem tamen vim habet. siue enim, tremefactus, dicamus, ut hic, siue, pauefactus, ut illic, non multum admodum interest. Idem etiam in narratione de monte Sina dicitur manente eadem tremefacti, et pauefacti differetia. ibi enim inquit Moyses, pauefactus sum & tremefactus, utriusque his per eodem usus. Stupefactus igitur beatus Moyses secum dicebat, accedens uisionem hanc magnam inspiciam, quid nam rubus non comburatur. Sed

Exod. 7. S.  
9. 10. 11. 14

Exod. 16. a

Exod. 19. c  
Hebr. 12. e

Exod. 3. a

statim arcet eum Dominus: ne appropinques, inquiring, huc: calceamentumq; pedis iubet resoluere. Ecce quē paulo ante angelum dixerat, nūc eundem Dominum esse & Deum ostendit. ipse siquidē est magni consilij Angelus, et filius Dei. **Bsa. 9. b**  
 Sed quid nam est qđ sibi vult calceamenti allusio? Mortis & corruptionis calceamentum est signum: quippe cum omne calceamentum ex reliquijs & pelle iam mortui animalis conficiatur. oportet enim, vt omni mortali & carnali cogitatione, quasi calceamenti quibusdam absoluator mens, quā ad Dei contemplationem ascendere, & intelligere Christi mysterium conatur. Qui igitur in lege & pädagogi seruitute adhuc est: legis autem figura est Moyses: nisi prius peccati sordem absterferit, & figuralem et vmbriticam seruitutem deposuerit, accedere ad Christum nō potest. si vero resoluere sibi calceamentum hoc voluerit, accedet in spiritu & veritate adoratione accepta.

Hic est Moyses, qui filijs Israel dixit: prophetam uobis Dominus Deus uester ex fratribus uestris suscitabit, quemadmodum me. **Deu. 18. c**

Hoc subiungit beatus Stephanus Christi mysterium ipsis significans, ostēdēsq; Moysen ipsis de Christo loquutum fuisse. Deus enim & pater propriij geniti sui incarnationem per sapientissimum Moysen pädicit, eumq; secundum ad nos legislatorem venturum. cum enim ipse antiquis per angelos legem tradidisset, in vltimis tempo-

Esa. 9. b

ribus ipse ad nos declaratus noui testamenti Angelus accessit: magni videlicet consilij patris Angelus. atq; hoc est qd̄ inquit (quēadmodum me) id est legislatorem. prophetam autem vocat pphetarum dominum ob humanitatem. Quēadmodum me) cōtemptum scilicet ab ijs, quibus esse veneratiōi debebat. vterq; enim signis prius factis legem dedit: sed neutrum ipsorum audire voluerunt.

Exod. 16. a

Ipsū audietis. hic est qui fuit in ecclesia in deserto cum angelo qui loquebatur ipsi in monte Sina, & cum patribus nostris: qui accepit uerbum uiuens ut daret nobis. Cui obedire patres nostri noluerunt: sed re-

Exod. 32. a

pulerunt, conuersiq; sunt corde in Aegyptum, cum dicerent Aaron, fac nobis deos qui deducant nos: Moysi enim huic qui eduxit nos e terra Aegypti, nescimus quid cōtigerit. & uitulum in diebus illis fecerūt, obtuleruntq; sacrificium Idolo, et in operibus manū suarum letabantur. Conuertit autem Deus, & tradidit ipsos, ut cœli exercitui seruirent: sicut in libro pphetarum est scriptum. nūquid uictimas & sacrificia obtulistis mihi annis quadraginta in deserto domus Israel.

Amos. 5. g

Vide, primum inducit ipsos etiam tunc simul lacris sacrificia obtulisse: nam antehac nusq; sacrificij nomen est: sed mandata uiuentia, & eloquia uiuentia appellat. adducit autem testimonium non absolute, sed etiam non esse opus sacrificijs ostendit, dū inquit: nūquid uictimas &c.)

id est

id est, non potestis dicere vos ex eo quod sacrificabatis Deo, illis quoque sacrificasse: sed illis prius sacrificastis, et in deserto praesertim, ubi vobis maxime praefui. Vide autem quod vehementer & non odiose totam orationem contra vniuersam eorum accusationem instituit: ita ferè dicens: si etiam dixissem & templum dissoluendum esse, & consuetudines, & sacrificia immutanda, nihil noui dixissem: quippe cum & Moyses, ob quem vide mini gloriari, quadraginta annos neque sacrificia obtulerit, neque templum erexerit. Quin neque Dauid, neque alius quispiam qui intercesserit: licet vobis terra in hereditatem esset tradita. Adde quod & propheta ita de ipsis pronunciant, quasi minime necessaria sint. Nunc vero quo pacto defendere Moysen simulatis, quem repulerunt & patres vestri, & vos? & in tora denique concione videre licet sapienter simul & mansuete & acriter eorum refelli ac dissolui accusationem.

*Et assumpsistis tabernaculum Moloch: & sidus Dei vestri Repphan, figuras quas fecistis, ut adoraretis. in transmigrationem vos inducam trans Babylonem.*

Moloch seu Molchom idolum est Moabitarum, quod in summa fronte lapidem pellucidum & eximium in formam Luciferi habebat. Repphan autem species est obtenebrationis. nam cum in montem ascendisset Moyses, vitulum fecerunt, stellarumque adorationi se dederunt. & tabernaculo facto simulacrum constituerunt, quod Moloch vocant, id autem, si interpretemur, rex ipsorum

significat: Repphā vero obtenebratio seu exca-  
 catio. Assumpsistis igitur tabernaculū Moloch,  
 id est regis vestri, quis autem is est? sidus Dei ve-  
 stri Repphan: id quod in excacationē vobis eua-  
 sit: obtenebrata enim corda vestra sunt. Quoniā  
 vero Moabitarum insaniam expleuistis, qui iu-  
 xta Damascum sunt, propterea vltra Damascū  
 abibitis, id est in Babylonē. Licet enim prophe-  
 ta vltra Damascum dixerit: ita enim septuagin-  
 ta editio habet: beatus tamē Stephanus Hebræo-  
 rum editionem sequutus dixit, trans Babylonē:  
 vel quia Damascenorum & Syrorum Babylon  
 terminus est.

Exod. 25. d  
 Heb. 8. b

Iosue. 3. c. d

1. Re. 16. c  
 Psal. 131. a  
 2. Pe. 17. c

Tabernaculum testimonij fuit patribus nostris in  
 deserto, quemadmodum instituit qui loquebatur Moy-  
 si, ut faceret ipsum ea figura, quam uiderat. quod etiā  
 introduxerunt suscipientes patres nostri cum Iesu in  
 possessione gentium, quas expulit Deus a facie patrū  
 nostrorum, usque ad dies David. qui inuenit gratiam co-  
 ram Deo: & petijt ut inueniret tabernaculum Deo  
 Jacob.

Tabernaculum testimonij, hoc est mandato-  
 rum Dei, quod in monte Sina Moyse a Deo fuerat  
 monstratum: ita fuit appellatum propterea quod a  
 Deo institutum fuit, ut testem Deum haberent,  
 quod in monte descriptio eius fuerit facta, & ipse id  
 Moyse instituerit & disposuerit.

3. Re. 6. a

Salomon uero domum ipsi edificauit. sed altissi-  
 mus in manufactis templis non habitat, sicut prophe-

ta inquit : cœlum mihi sedes , terra scabellum pedum <sup>Elz. 66. a</sup>  
 meorum est. qualem domum mihi ædificabitis ? inquit  
 Dominus: uel quis locus requietionis meæ? Nonne ma-  
 nus mea omnia hæc fecit:

Quadringentesimo quadragesimo anno post <sup>3. Reg. 3. a</sup>  
 exitum filiorum Israel ex Aegypto cœpit Salo-  
 mō templum in Hierusalem ædificare, vt tertius  
 liber regum docet . propterea autem tanto tem-  
 pore post reditum ex Aegypto templum fuit ex-  
 tructum, vt post diurnam circumuagationem  
 per montes defatigati vnum locum, id est Hieru-  
 salem haberent, in quo conuiescerēt, quē Deus  
 sibi preciosum fecisset. ipsi vero cum & tardi ad  
 intelligendum , & sermonis de Deo imperiti es-  
 sent, urbem Dei esse Hierusalem rati, in ea sola  
 habitare ipsum dicebant. Parua igitur & humi-  
 lia opinantes arguit Deus, & inquit: qualem do-  
 mum mihi ædificabitis, qui cœlum sedem, & ter-  
 ram pedum scabellum habeo ? Oportebat enim  
 vt ijs qui contractam esse & circumscriptam lo-  
 cis naturam eius existimant: eum esse vbiq; , &  
 nihil esse quod capere ipsum possit: quin per om-  
 nia ipsum permeare, plenumq; esse cœlum eo, &  
 plenam terram manifeste declararetur.

*Duriceruices, & incircuncisi corde & auribus:*

Qua de causa cum hucusq; mansuete concio  
 natus fuerit Stephanus, hic aspere inuehitur : quæ  
 scilicet ipsos non attendere his quæ dicebantur,  
 videbat .

*Vos semper spiritui sancto resistitis.*

Non dixit Deo resistitis, sed spiritui sancto: quippe cum nullam differentiam nouerit: nam & spiritus est Deus, etiam si impijs non videatur. Vos igitur semper resistitis Deo. Quando enim volebat sacrificia esse, ipsi nō sacrificastis: quando vero non vult, sacrificastis. quando constitutum erat templū, simulacra colebatis. quando sine templo adorari vult, contrarium facitis: quemadmodum patres vestri.

*Sicut patres uestri, & vos.*

Desuper a progenitoribus vitium hoc deuenire in ipsos ostendit. Sic etiam Christus faciebat: propterea quod valde semper ob patres gloriabantur.

*Quem ex prophetis non persecuti sunt patres uestri?*

Hæc cum dicat beatus Stephanus, vera quidē dicere eum utpote spiritu sancto loquentem scimus: ostendere tamen ex veteri testamento, quo modo patribus horum qui in Iesum non credebant, exprobet, quod persecuti fuerint prophetas, & interfecerint, ex libris his qui habentur, non possumus. Si igitur, inquit, eos qui prænucciabant aduētum eius, interemistis, nihil mirum est, si me quoque qui prænucciatum prædico, interficietis. se enim ab ipsis interficiendum esse minime ignorabat, utpote spiritu sancto plenus. unde etiam sine vlla dissimulatione libere loquitur.

*Et interfecerunt eos qui prænucciauerant de aduē*

*tu iusti: cuius uos nunc proditores & occisores effecti estis: qui legem in institutiones angelorum accepistis, & non seruastis.*

Iusti, inquit, ut ostendat, si ille erat iustus, ualde iniustos fuisse, qui illum occiderunt. iustum uero illum uocat, id quod negare ne ipsi quidem poterant. nullo enim quis ualde impudens esset, alicuius iniustitie uilla in re illum accusarunt: quo pacto enim: cum ne rectum quidem haberet: ac iustum quidem Iesum appellat conciliare ipsos uolens: ipsos uero proditores eius & occisores, utpote qui conscii cum Iesu fuerint, qui ipsum cruci affixerunt. Quamuis, inquit, legem accepisset eiusmodi institutionum, quae efficiebant, ut qui illam seruarent, aequalem angelis uitam traderent. hoc enim est quod inquit, qui legem in institutiones angelorum accepistis. Alii intelligunt legem ab angelis institutam, & traditam per angelum Moysi qui ipsi in rubo apparuerat. In institutiones, p, secundum institutiones: quemadmodum uidelicet illi apparentes in rubo, & monte Moysi instituerunt.

Matth. 5.c  
Luc. 9.g

*Cum uero haec audirent, discruciabantur cordibus suis, & fredebant dentibus suis in ipsum. Ipse autem cum esset plenus spiritu sancto, intente suspiciens in caelum uidit gloriam Dei.*

*Si uolebant ipsum interficere, cur non statim id fecerunt: quia pretextum probabilem facinori suo asferre cupiebant. Nam contumelia in ipsos*

non satis idonea causa esse videbatur, vt interficeretur: sed vt expelleretur fortasse & flagellaretur. præterea neq; eius erat contumelia, sed prophetæ contra ipsos accusatio. quapropter nolabant videri se eum interfecisse causa sua, quem admodum neq; Christū. non enim contenti erāt homicidio, sed famam quoq; eius obscurare conabantur. timebant enim ne occisus ab ipsis ob contumeliam qua in ipsos vtebatur, clarior ac venerabilior efficeretur.

*Et Iesum stantem a dextris Dei. & dixit: ecce uis deo cœlos apertos, & filium hominis a dextris Dei.*

Stantem & non sedentem Iesum beatus Stephanus videt, vt auxilium sibi paratum cognoscat: vtq; certatori auxiliatoris habitus & status promptitudinem magnam atq; alacritatem afferat. Quia præterea audire de Christo quòd ad dexteram Dei consideret, ipsis odiosum erat, stare ipsum nunc inquit, suscitationem & resurrectionem ipsius ēt significans. nam non stare eum sed sedere, etiam Paulus ostendit, cum ait patrē simul suscitasse ipsum & simul ad considendum collocasse in cœlestibus in dextera sua.

*Ephe. i. d*

*Clamantes autem uoce magna aures suas cohibuerunt, & in ipsum unanimiter irruerunt. & eiecerunt eum extra urbem lapidabant.*

Cohibuerunt aures qui falso erant cōtra sanctum testificaturi.

*Et testes deposuerunt pallia ad pedes iuuenis quē*

*uocabatur Saulus: & lapidabant Stephanum inuocã  
tem & dicentem.*

Testes vocat eos, quos supposuerant et subor  
narant, vt falsum testimonium contra ipsum di  
cerent. ostenditque eos paratiores ad cędem fuis  
se, cū pallia deposuerint, vt expediti & leues ad  
conñciēdos lapides essent. Inquit etiam eum qui  
postea præco per totum orbem futurus erat, cędi  
huic tunc consensisse: vt ostendat diuinam eius  
& admirabilem, non humanam fuisse muta  
tionem.

*Domine Iesu suscipe spiritum meum.*

Dū hoc inquit, se nō mori declarat: docetque  
iustorum animas a corporibus absolutas nō am  
plius ad inferos descēdere, sicuti antea: sed in ma  
nus Dei viuentis per Saluatorem omnium no  
strum Christum deduci.

*Et positis genibus clamauit uoce magna: Domine  
ne statuas ipsis hoc peccatum: cūq; hoc dixisset, obdor  
miuit. Saulus autem consentiens occisioni eius  
erat.*

Cum precatus fuerit Stephanus ne statuatur  
ipsis in peccatum mors sua, quæstu dignum vi  
detur, an remissum ob id peccatum hoc ipsis fue  
rit. dicendum si eos pœnituit, dimissum fuisse.  
nam qui innumerabilibus manibus ipsam ferie  
bat, & ecclesiam persequebatur Paulus, Ecclesie  
přes postea euasit.